Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Collegium Politico-Historicum - Cod. St. Blasien 116

[Südwestdeutschland], [17. Jahrh.]

Gegen Ludwig XIV. gerichtete Gedichte (Distichen)

urn:nbn:de:bsz:31-55801

Visual Library

Lillia marcescunt marcescent lilia galli
Et Rex et Regnum, Genusque peribit Amen.

Marchiuni De Pio.

Impius ille pius, vere impietatis imago
Lusor et illusor Caesaris atque dei.
Vae tibi! qui sacrum profanas impie nomen
Lux tua, certe eadem daemonis et pietas.
Femius adorator Susannae, impie nomen
Non Deus est, inquis, experiere Deum.

Disticum super novo aedificio seu Palatium Regis
Galliarum affixum seu marmori incisum.

Urbi par Domus est, Urbs Orbi, neutra Triumphis
Et Belli et Pacis par Ludovice tuis.

Zoilus e contra.

Vati par versus est, qui bis mentitur uterque
Nam minor Urbs Orbe est, et minor Urbe Domus.
Sic mendax Vates et Versus, uterque Triumphis
Et Belli et Pacis par Ludovice tuis.

Carmen Ingeniosum

Si legas directe gloria Turcarum, si autem retro
Romanorum Imperatoris stabit.

Pannoniis fera Mars moveat si praelia Terris
Gloria florebit tunc Mea sed Tua non.
Austriacas potis est Aquilas, vis Turcica Bello
Vincere nec Virtus est satis Imperij.
Omnipotens memor est Mahomet nec Cynthia Christo
Subdita parebit, Spes tua deficiet.
Auxilium Deus est Nobis nam Turcica vincent
Agmina, non prodest vox tua Christiadum.
Dispereat tua Vox et floreat Austria nunquam
Turcica sit foelix, gens mea Militia.

Aliud distichon

retrogrado modo lectum reddit sensum omnino contrarium
haud dubie veriorem.

Prospicimus modo, quod durabunt foedera longo
Tempore, nec Pax nobis cito diffugiet.

Sur le Bref du Pape contre le Roy de France

Ex Gallico Versio.

Belligerum offendis cur Papa austere Monarcham?
In te tot semper qui benefacta locat.
Si sapis, haud Urbis Domitorem quaeso lacesse
Ne Gallo Petrus forte canente fleat.

LVDoVICVM FORTVNA IRRISISTI.

Vndique iam canitur Rex Gallus fabula Vulgi,
Qui dum plura cupit, nil retinere potest.
Plurima congessit fundendo largiter aurum
Multa dolis, armis paucula, Jure nihil.
Deficiente auro defluxit Martia Virtus,
Mars favet haud Bello, si dona dare nequit.
I Ludovice domum, Leopoldus ad arma volavit,
Ad Galli cantum non timet iste Leo.
Nulla Salus Bello est, Sermo hic verusque vetusque
Mars parit omne malum, Pax parit omne bonum.
Elige consiliis posthac melioribus uti,
Et ruptam Pacem mox revocare stude.
Redde suum Battavis, Lotarisque ablata repone,
Restitue Hispanis, Imperioque suum.
Nil tibi conduxit subito accepisse tot Urbes
Quam cito Victor eras, tam cito victus eris.

Aliud Carmen Ingeniosum.

Prudentes dico, versus qui intelligit istos,
Dilige, luxuriam, vitium cole, destrue, Sanctos.
Justitiam, fuge, Sperne, Deum, Sathanam, reverere,
Occidito, Patrem, spernas, Matres, fuge Christum,
Fures, conforta, crimen, lauda, mala, quaeras;
Semper eris felix, si sic vivisse studebis.

De Urbe Genua.

Manet apud Genuenses indeclinabile
Genu.
Nec eis eosque hunc non cogitatus declinare potuerunt hactenus.
En Genua ad genua.
Dux, Senatoresque Genuensium procumbunt
ad genua.
Regis non Galilaei, sed Galliae,
non Christi, sed Christianissimi.
Cuius stellam non quidem polarem
sed Pyropolarem
viderunt iam ante Annum sibi Orientem
venient nunc adorabundi
Regem hunc ne amplius noceat.
Aurum et thus Libertatis olim invictae nunc devictae afferunt et offerunt.
Myrrham tamen splendidae servitutis et crucis dono suis referunt domum.
O Pater Papa miserere eorum et per somnium eos mone,
ne remeantes domum meent mediolanum.
illic enim eos expectat Herodes Hispanus.
ad Geniculationem hanc novam
fremens, gemens, et tremens.